

animo usquequaque amplexatus sum ; Et cum mirifica  
semper in te DEI dona exosculatus sim, facere aliter non  
potui. &c.

Ut taceam DN. BEHMIVM , DN. MISLENTAM,  
DN. CALOVIVM, DN. JOH. QVISTORPIVM Sen. egre-  
gium Exegetam, quos per aliquot audivit annos.

Tam præclaris itaque cum usus fuerit Manucto-  
ribus in explicando, juxta Textum Spiritûs S. avtheticum,  
Codice sacro, & dies noctesque in Lege DOMINI ipse me-  
ditatus fuerit, non est quod dubites, L.B. medulliter illum  
elaborasse Notas has, & calamum, dum eas scriberet, non  
tam in atramentum, quam in cerebrum suum, rore divi-  
no perfusum, indidisse. Verbo: seipsas commendabunt,  
nec commendatione mea indigent. Abundat equidem  
Ecclesia CHRISTI Commentariis super V. & N. T. luculen-  
tis, quorum Autores in Compendium nuper redegit, in  
Bibliotheca sua Biblica, Opere planè absoluto, S. REG. MAJ.  
SVECIÆ &c. à Consiliis sacris & Præsul Ecclesiæ Pomeran. &  
Rug. gravissimus, consummatissimæ Eruditionis Theolo-  
gus, DN. D. JOH. FRIDERICVS MAYERVS, Pater me-  
us in Christo summe reverendus ; at enim verò has quo-  
que Annotatiunculas quin hic vel ille cum fructu possit  
usurpare, non dubito, *Spiritus enim distribuit unicuique,*  
*prout vult. 1. Cor. XII. 1.*

De quo me benè sperare fecit biga Theologorum  
excellentissimorum, quorum alter jam *εν άγιόις*, nempe  
DN. D. AVG. PFEIFFERVS, alter adhuc divinâ fruitur au-  
râ, DN. D. JOH. FECHTIVS, qui Tractatum hunc di-  
gnum